

enim suo ad Dominum poterat appropinquare. Deinde quomodo Dominus hoc postulatam concedit; videbatur enim Petrus reprehendendus, veluti rem superuacaneam postulans, cum illud industria humana assequi valeret; non enim solet Deus, sua signa, ac miracula præter necessitatem edere. Cur ergo illius preces exaudit? Apostolus multa fide armatus illud à Domino postulauit, vt ex communi Patrum sententia dixi tom. 3. cap. 34. Cùm in fide esset, oratio statim obtinuit, quidquid petebat, ne vnquam diceretur quidquam, intercedente fide, denegatum. Pulchre D. Gaudentius ferm. 19. & vltimo. Petrus rogat, ait, *sube me, ad te venire super aquas: at ipse, ne quid fidei negaret desiderio, ait, veni.*

Gaudent.

154.

Iud. 6.

Gravi timore correptus stabat Gedeon in area, ita vt à facie Madian meditaretur fugam. Apparet ei Angelus Domini dicens: Dominus tecum fortissime virorum. Cui ille: Si Dominus nobiscum, vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri, atque dixerunt, de Aegypto liberavit nos Dominus. Quibus auditis statim ait Angelus ei: Vade, in hac fortitudine tua liberabis Israel de manu Madian. Iudic. 6. num. 14. In his duo faciunt magnam difficultatem. Primò. Quomodo dicat Angelus: In hac fortitudine tua. In quo erat illius fortitudo ad hostes debellandos, qui tanta imbecillitate premebatur, vt fugam haberet in animo? Secundo. Cur hæc ei non dixit Angelus statim quando apparuit, sed postquam audiit Gedeonis verba, tunc ait: In hac fortitudine tua? In Gedeonis sermonibus sese eius robur declarauit, cum credens Dei opera dicebat: Vbi sunt mirabilia eius, quæ narrauerunt patres nostri. Cùm fides explicatur, tunc fortitudo, ac robusta manus apparet, vt aduersarios subiiciat, ac deuineat, cunctaque in magna felicitate componat. Theodor. quæst. 12. Quoniam, ait, memor erat mirabilium Dei, firmamque de Deo tenebat opinionem, si vellet, eos facile liberare posset, meruit, vt audiret ab Angelo; proficiscere in robore fidei huius, & vinces &c. Vide tom. 3. cap. 11. num. 142. 143. 144. & 179.

Fides corroborat ad vincendum, & ad omnia bona.

Theodor.

QUESTIO XVIII.

Quare Christus non dixit demonio, vt exiret à filia huius mulieris, sed ait illi: Fiat tibi, sicut vis?

155.

Marc. 6.

Marc. 1. Ratio diffcultatis.

ÆPE Christus D. demones ab hominum corporibus verbo suo eiiciebat. In regione Gerasenorum ab homine demoniaco expellens demonium ait illi: Exi spiritus im-munde ab homine. Marc. 5. n. 8. Et in Capharnaum, alterum demone obsessum sanans, ait demonio: Obmutescet, & exi ab homine. Marc. 1. n. 5. At in hoc miraculo perpetrando, nouo, & mirabili modo vsus est Christus; non enim dixit, exi demonium à filia huius mulieris; sed ait mulieri, fiat tibi, sicut vis.

156. Chrysof.

Respondet Primò D. Chrysofostomus homil. 17. ex variis in Matth. O mulier, magna est fides tua; fiat tibi, sicut vis: non dixit, ait, sanetur filia tua, sed fiat, sicut vis. Tu, inquit, eam cura, esto medicus, tibi remitto medicamentum, vt imponas ei: fiat tibi, sicut vis; voluntas tua curat eam: neque iussit mulier, neque imperat demoni, sed sola mulieris voluntas

curauit filiam, demonemque fugauit. Non ait Christus: Ego sano filiam tuam, ab eaque demonium expello, sed tuus ingens feruor in petendo, tuæque magna declarata fides, non solum salutem filia tuæ à me impetrat, sed etiam obtinet, vt vices meæ potestatis tibi committantur, vt tu absque alterius sententia, & calculo ei medicamen impendas, non tantum iussu, & imperio, sed etiam leui tuæ voluntatis nutu: si vis, sine alterius interuentu, iam filia tua est sana; non modò eius salus, sed etiam modus illius sub tua potestate est. O ingens liberalitas, in qua non solum res beneficij, sed etiam illius modus petentis arbitrio defertur. Et si Christus verbis exaggerauit mulieris fidem, dono exaggerauit beneficium.

ingens liberalitas, in qua non solum beneficium, sed etiam illius modus conceditur.

Secundò. Idem D. Chrysofostomus homil. 53. in Matth. Fiat tibi, sicut vis: ac si diceret, ait, fides quidem tua, maior, quam petis, poterat imperare; verum tamen fiat, vt vis. Hac vox illi affinis est, qua dictum est, fiat calum, & factum est calum. Tam præclara, ac ingens fuit huius piæ mulieris fides vnà cum perseuerantia, vt ad illius remunerationem in eius arbitrio ponatur à Deo magna illa vox fiat, dicens: fiat tibi, sicut vis: qua voce Omnipotens condidit cælum, terram, ac luminaria magna. Hac vox illi affinis est, qua dictum est, fiat calum. Vt inde manifestetur, quantum valeat efficere voluntas humana, præstanti fide insignita, cùm illi detur præpotens verbum fiat, quo omne visibile conditum est. At mulier, tanta sibi tradita potestate, sola filia salute contenta est: sanata est filia eius in illa hora. Christus vt magnus, ac magnificus Dominus, amplam committit mulieri potestatem; ipsa verò, vt limitato, ac angusto animo pollens, parum sibi eligit, ac assumit.

157. Chrysof.

Vices diuina potestatis committuntur voluntati cum fide.

Deus dat, vt magnificus, homo accipit, vt limitatus.

158.

Tertiò. Nouo inusitato modo donum huic mulieri conceditur. Fiat tibi, sicut vis. Quorsum tam extraordinarium priuilegium; nam forsitan simile non inuenies alteri concessum, vt huic mulieri impertitur. Hæc mulier nouum quoddam certamen cum Christo sine exemplo in suo obtinendo beneficio sustinuit: nam cùm humilis, ac supplex accessisset, dedecus, ac repulsam ab eo est passa. Primò. Silentio veluti eam despectam habuit Dominus: Non respondit ei verbum. Deinde eius interpellatores non admittit: Non sum missus, nisi ad oues. Tandem infami canis appellatione eam à se excludit: Non est bonum, sumere panem filiorum, & mittere canibus. Quando Christus humiles, ac feruidos in fide sic à se abiecit? Haud dubio, nunquam. Ergo cum hæc mulier esset prima, quæ insolita hac repulsa, ac ignominia inflicta cum Christo pacièter certamen sustinuit; inde insolito, ac nouo præmio fuit sublimanda. Origen. hom. 7. de Diuers. Miseram hanc mulierem Chananaeam despicis deprecantem: quid est hoc verbum? inauditum miraculum. Qui primos inuicis alicuius calamitatis, ac molestiæ scopos inuadit, inusitata mercede est condecorandus.

Primus in aliqua virtute, maxime condecorandus.

Origen.

Quartò Albertus Magnus. Fiat tibi, sicut vis; Non ponit metam, ait, qua in fide terminum non habuit. Prouerb. 10. n. 25. Desiderium suum iustis dabitur. Proportionatur præmium merito. Et sicut mulier inter tot repullas, ac calumnias, cùm canis appellatur, metam non posuit, nec destitit à sua oratione; sic etiam Christus in præmiando terminum non præfixit, sed totum eius voluntati credidit.

159. Alb. Mag. Prou. 10. Præmiu pro portione merito.

160. Basil. Sel.

Quintò D. Basilii Seleucus Orat. 10. sic differt in persona Christi. Ideo, ait, tibi gratificari distuli,

Deus ultra postulata exuberanter concedit.

stuli, vt fidem tuam in exemplam proponerem, totam tibi curationis mensam explico, non vt cani micas, sed vt filia totum panem largior. Hucusque Dominus valde rigidè abiecerat mulierem: Non est bonum sumere panem filiorum, &c. Nunc verò magnifica liberalitate se erga illam explicat: fiat tibi, sicut vis. Vnde ergo tam diuersa mutatio? Christus, vt supremus Dominus, ideo tantisper postulatam videretur denegasse, vt inde largius concederet, ad suæque diuinitatis normam largiretur: diuina enim magnificentia est, non solum necessarium suppeditare, sed etiam cum magna exuberantia, vt profluat, & redundet. Bene ergo postquam mulieri misereri decreuit, tam copiosè concessit, vt nihil esset in desiderio, cuius copiam non faceret: Non vt cani micas, sed vt filia totum panem largior.

161. go

Oratio humilis Omnipotentie vice fungitur.

Theodor.

162. Ierem. 7.

Oratio Omnipotentie vice quasi obtinet.

Tertull.

163. Basil. Sel.

Feruida oratio de obtinendo dono ita certa, ac si haberetur reuelatio.

164.

1. Reg. 17.

Sextò. Maximè expendendum, quòd Christus suo omnipotenti imperio non eiecit demonium, nec sua omnipotenti voluntate mandat infirmitati, vt solet, ac sanitatem impendit; sed totum hoc ipse omittens, totum voluntati orantis feminæ committit: fiat tibi, sicut vis. O præclara supplicis orationis commendatio, vt ipsi veluti Omnipotentia priuilegium concedatur: fiat tibi, sicut vis: Ac si illi diceretur: Voluntas tua quasi mea sit Omnipotentia; & tuum velle, quodammodo meum posse: nec enim minora potes tu tanta fide suppliciter exorando, quam ego supremè imperando. Vnde præclare ait Theodoretus in historia Religionis. Omnipotens oratio, cum sit vna, omnia potest.

Præcipit Deus Ieremias 7. num. 16. Tu, ait, noli orare pro populo hoc, nec assumes pro eis laudem, & orationem, & non obstitas mihi. Vnde imbelli homini tanta fortitudo, vt Omnipotenti Deo obstitere valeat. Vndenam debili homini tot vires, vt diuinæ Omnipotentia viribus sese opponere queat? Vnde? Ex oratione. Tu noli orare. Etiam oratio suas quodammodo habet Omnipotentia functiones, vt Omnipotenti humiliter deprecando valeat obstitere, eumque rogando ad pietatem inflectere. Vnde pulchrè dicebat Tertullianus in Apologia cap. 39. Coimus in cælum, & congregationem, vt ad Deum, quasi manu facta, precationibus ambiamus orantes: hac vis gratia Dei est. Expende verba: Manu facta precationibus ambiamus: quasi diceret, eum nostris precibus vndique circuncingimus, ac tenemus.

Septimò. D. Basilii Seleucus Orat. 10. O quot myriadibus, ait, Iudeorum persanatis, ab iis ipsis, qui persanati, Christus sibi reponi illud audiuit: Hic vnde sit, nescimus: mulier verò Chananaea, etiam ante curationem, fide elata, ad Euangelista dignitatem peruenit. In quoniam hæc mulier ad Euangelista dignitatem peruenit? Euangelista laus in veritate dicenda, atque diuinis reuelatis testificandis constituitur. Hæc autem mulier Chananaea nihil asserit, aut testificat, sed tantum animosa fide petit. In quo ergo Euangelista dignitate gaudet, vt scribit Seleucus? Hoc dictum est ad exaggerationem efficacæ orationis, quæ dum feruide, spe, ac fide petit, ibi quodammodo annuntiat postulatam impetrandam, ac si Deus illud daturum iam reuelasset; ac ita oratio elata fide prolata, veluti Euangelista fruitur priuilegio, vt iam audiat, fiat tibi, sicut vis.

In certamen descendunt Dauid, & Goliath. Cui Dauid, ac si esset iam in parta victoria, loquitur: Ego venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei Silycira in Euang. Tom. IV.

agnum Israel, quibus exprobrasti hodie, & dabit te Dominus in manu mea, & percutiam te, & auferam caput tuum à te 1. Reg. 17. num. 45. Non dum erat initum certamen; & belli est varius euentus, vt ipsemet Dauid postea dixit. Quomodo ergo iam sibi cantat victorias; nec enim super hoc ipsum habuisse aliquam reuelationem apparet, vt docere videntur Iosephus, Theodoretus, Serarius, & alij. Vnde ergo ante trophæum illius gloriam ita decantat, ac si iam sibi esset reuelatum. Tu inermis, & absquo gladio procedis, quomodo dicis, auferam caput tuum? Quis tibi ministraturus est enslem ad amputandum caput. Ipse dicebat. Ego venio ad te in nomine Domini: nempe totus confidens in Deo, cuius auxilium inuoco. Cum ergo in prece erga Deum veniret, veluti Euangelista priuilegio potitus, ante victoriam illius glorias celebrat; ac si iam sibi esset reuelata: tantam enim fiduciam, ac certitudinem ex oratione hausit, vt iam felicem euentum sibi, ac aliis euangelizaret. D. Chrysofostomus homil. de Dauid, & Goliath. Tu venis ad me, ait, fidens in gladio, ego in Deo; tu in clypeo, ego in prece; tu venis in armorum virtute, ego in potentissimo genitore. Denique in te tua arma vertentur. Expende illud. Ego in prece, in te tua arma vertentur.

Ioseph; Theodor; Serarius.

Oratio redit nos certos de assequendo desiderio.

Chrysof.



CAPVT III.

Iesus transiens inter fines Decapoleos.

Marc. 7. n. 31. Et iterum exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare Galilææ inter medios fines Decapoleos.

VERSIONES.

Theophylact. Rursum egressus de finibus Tyri, ac Sidonis, venit ad mare.

Græcus. Per medium finium Decapoleos.

Syriacus. Venit ad mare Galilææ ad confinium Decapoleos.

ALTER TEXTVS.

Matth. 15. num. 29. Et cùm transisset inde Iesus, venit secus mare Galilææ: & ascendens in montem sedebat ibi.

Num. 30. Et accesserunt ad eum turbæ multæ, habentes secum mutos, cæcos, claudos, debiles, & alios multos; & proiecerunt eos ad pedes eius, & curauit eos.



EXPOSITIO I.

Theophyl.



ANATA filia mulieris Chananæ, vt ait Theophylactus, non moratur diu in Gentium locis, sed statim transit, ne daret occasionem Iudæis dicendi, quod prauaricaretur legem Gentilibus se miscens.

Theodor.

Qua de causa ait Theodoretus: Ideo statim reuertitur: Quamuis regionibus illis Dominus in sanctis, ac pijs negotijs versaretur, statim reuertitur, suo exemplo nos informans ne alijs scandalosi occasione præstemus. Et iterum, hoc est protinus, ac est ingressus regiones illas, statim exiit de finibus Tyri.

Intuitu causa sa pia non est dandum scd. daturam.

Euthym. Theophyl. Variabl. Arias. Ianfen. Maldon.

Græci communiter, vt Euthymius, Theophylactus, Variablus, Arias, habent: Exiens è finibus Tyri, & Sidonis, quam lectionem probant Ianfenius, Maldonatus. Tamen nostra lectio verior est: Exiens de finibus Tyri, venit per Sidonem: cum habeatur in Bibliis iussu Romani Pontificis correctis. Sensus est: Exiens Christus de finibus Tyri, venit per Sidonem ad mare.

Ianf.

Duo obiicit Ianfenius. Primò. Quomodo Christus venit per Sidonem, qui prohibuerat Apostolis Gentium ciuitates ingredi. Respondemus, quod Dominus solum transit. Vide tom. 2. cap. 5. q. 8. Vel transit per Sidonem, hoc est loca propinqua Sidoni. Secundò obiicit: Quomodo egressus de finibus Tyri per Sidonem iter instituit ad mare Galilææ, à quo Sidonem longius multo abesse constat, quam Tyrum. Respondedo, quod diuinus Magister non parcebat suo labori, ac itineri, vt nostro commodo consuleret, & idè forte per Sidonem inflexit iter, vt per viam aliquos lucrifaceret.

Bonus Rex labori suo nò parcat, vt suorum commodo consu- las.

2. Mat. 1. 4. & 5. Marc. 2. & 3. Ant. Vlyssip.

Ad mare Galilææ, id est stagnum, aquod quod frequenter diuersabatur Dominus Matth. 1. 4. n. 18. & 5. num. 39. Marc. 2. num. 13. & cap. 3. num. 7. &c. D. Antonius Vlyssipponensis Dominica 2. post Trinit ait, quod Tyrus significat angustiam; Sidon venationem tristitiæ; mare amaritudinem penitentia, Galilæa verò transmigrationem dicit. Vt morali documento instruaui, quod ab angustia, ac venatione tristitiæ rerum sæculi transmigrandum sit ad penitentia amaritudinem. Inter medios fines, hoc est iter habens per medium finium. Vt optimus princeps, non magis in hanc, vel illam partem inclinabat, sed medium tenebat, vt æqualiter omnibus dona, ac bona sua diffunderet. Decapoleos, hoc est decem ciuitatum, quæ mare Galilææ erant adiacentes. Decapoleos decem ciuitates significat, vt iam explico.

Bonus Princeps æqualis in omnes in suis fauoribus distri- buentis.

QVÆSTIO I.

Quare Dominus per fines Decapoleos veniebat? Et quid sit Decapoleos.

3. Euseb.

VSERIVS Emissemus homil. in Domin. 12. post Pentecosten ait, quod sicut Pentapolis à quinque; ita Decapoleos à decem ciuitatibus nominatur. Nam, vt obseruant omnes, & rectè notauit D. Antonius Vlyssipponensis Domin. 12. post Trinit; Decapolis dicitur à Decas, quod Græcè est decem; polis, quod Græcè etiam est ciuitas; ac proinde Decapolis est regio decem vrbium.

Ant. Vlyssip.

Hæc autem regio Decapolis, decem vrbium

scilicet, sita est ex parte Orientali à Sidone trans mare Galilææ, & Iordanem, vt referunt D. Hieronymus lib. de locis Hebraicis, Beda, & Haymon in præfenti, & Plinius lib. 1. cap. 18. Borcardus 1. part. cap. 6. §. Qui. Tamen auctores in referendis nominibus harum ciuitatum aliquantum discrepant. Quod parum ad nostrum institutum attinet. Iosephus verò lib. 3. de Bello. cap. 16. ait. Decapoleos esse citra Iordanem. Vnde Lyranus inquit, quod Regio Decapolitana partim cis Iordanem est constituta; partim vltra Iordanem: quod Ianfenio placet.

Decapolis vbi sita. Hieron. Beda. Haymon. Plin. Borcard.

Ioseph. Lyranus. Ianfen.

Igitur Christus D. à Tyro per Sidonem; deinde per medios fines, seu per medium finium, vt habet Græcus, regionis Decapolitana, venit ad mare Galilææ, nempe ad oues, quæ perierat domus Israel. Cur autem per medium finium venerit? iam dixi in expositione. Nunc verò inquiri: cur per fines Decapoleos: poterat enim alia via incedere, per illamque in Galilæam deuenire?

5. Ratio diffi- cultatis.

Respondeo Primò. Quod Christus per Decapoleos instituit iter, quia illa via erat communis, & vulgaris à Sidone in Galileam, docens nos, communes, & non extraordinarias vias esse querendas. Vide tom. 2. cap. 5. quæst. 8. num. 40. tom. 3. cap. 1. num. 128. & 129. & cap. 19. num. 24.

6. Pec. via com- mune inco- dendum.

Secundò D. Antonius Vlyssipponensis citata Domin. 12. post Trinit. ait, quod ista decem ciuitates, sunt decem illæ virtutes, quas numerat sapiens Ecclesiasti. 50. num. 1. in laudem Simeonis. Simeon, ait, Onia filius, sacerdos magnus fuit, qui quasi stella matutina in medio nebula, quasi luna plena in diebus suis lucet, & quasi sol resurgens: sic ille effulsit in templo Dei. Quasi arcus resurgens. &c.

7. Ant. Vlyssip.

Quod latè ipse S. Antonius explicat, & concludit. Si ergo cum his virtutibus de finibus Tyro, hoc est de mundo, exieris; sufficientiam, & fiduciam, quæ in Deo est, cum Apostolis obtinebis, vt Christum sequaris. De mundo exire, ac Christum sequi, vt in schola Christi, ac inter eius Discipulos numeremur, oportet.

Eccl. 50.

In Christi schola requiritur sanctitas multa.

Tertiò Interlinealis. Inter fines Decapoleos: habet, Mandata Decalogi. Decem illæ ciuitates decem Decalogi præcepta denotant, per quas Christus exiens de Tyro cum suis Apostolis, ad mare Galilææ exiit. Qui ergo exiens de Tyro, nempe de mundo, & Christo adharet, veniat ad mare penitentia, & contritionis, degat adimplens decem Decalogi præcepta; nec enim sat est, vnum, vel alterum obseruare; perfecta enim iustitia omnium adimplitione consistit, ac vnus transgressione tota deperditur, ac euacuatur.

8. Interlin.

Sanctitas ad- perditur vnus præcepti violatione.

Quartò Haymon in homilia. Venit, ait, per medios fines Decapoleos ad mare Galilææ. Per Decapolim designatur Iudæi propter Decalogum legis. Per mare Galilææ designantur Gentiles, qui timidi erant. Veniens Dominus in mundum relinquit Iudæos, qui de præceptis legis erant imbuti; & venit ad tumentia corda Gentium, vt gratiam eius quam Iudæi amittebant, non credendo, Gentiles reciperent credendo. Per quod denotabatur, quod Dominus relinquebat superbos, ac electos Iudæos, & transibat ad Gentiles, quæ quamuis tumentia haberent corda, visa tamen Christi humilitate, sese deprimebant, ac humiliabant.

9. Haymon.

Relictis Iudæis sit transi- tus ad Gentes.

Quintò. Venit Iesus inter medios fines Decapoleos, hoc est inter fines decem ciuitatum; non per fines vnus, vel alterius, sed decem, quod quandam vniuersitatem significat. Magnum documentum.

10.

Rex omnibus sit sua beneficia largiens.

Ambros.

11. Genes. 24.

Theodor.

Deus nemini denegat sua dona, sed omnibus elargitur.

12. 1. Cor. 10.

Theodor. Iustia. Cornel.

Chrysof.

Margiuicula Chrysofomi.

Optimus princeps, ac rex, non per vnus, vel alterius, sed omnium fines incedat, vt non vni, vel alteri, sed omnibus sua impertiat dona; hoc enim maximè proprium est beneficiorum Dei, vt dicat D. Ambrosius lib. 6. in Lucam, Christi munera, parua videntur, & maxima sunt; denique non vni collata, sed populis.

Cum peruenisset Eleazarus in Mesopotamiam querens sponfam domino suo Isaac, vt sciret, quamnam esset in vxorem à Deo præparata, sic diuinum nomen exorauit: Puella, cui ego dixero, inclina hydriam tuam, vt bibam; & illa responde- rit, bibe; quin & camelis tuis dabo potum, ipsa est, quam præparasti seruo tuo Isaac, Genes. 24. num. 4. Vix erant completa verba, cum aderat Rebecca, quæ, cum ille aquam peteret, sereno vultu respondit: Bibe domine mi: celeriterque depoposuit hydriam, & adiecit, quin & camelis tuis aquam dabo, eamque in canalibus effundens cunctis potum ministravit. Tunc ait Textus: Ipse autem, scilicet seruus Abrahae, contemplantur eam tacitus, scire volens, virum prosperum iter suum fecisset Dominus. Multam contemplationem nobis ingerit huius boni serui contemplan- tio. Habes, o homo, in puella abundanter omne expetitur signum, quod à Deo postulasti; nam ipsa non solum tibi, sed etiam tuis camelis aquam dedit; & hoc cum celeritate, ac diligencia: quid ergo, o homo, vltra cunctaris? Cur ipsam non habes, vt à Deo plenam, ab eoque in vxorem Isaac designatam? quid vltra requiris? Pulchrè Theodoretus quæst. 37. Cum illa, ait, haussisset aquam, & camelis prabussisset fluentem; expectabat ille, vt videret, an omnibus præberet, quantum opus erat. Quamuis seruus Abrahae vidisset, quod illa aquam camelis ministrabat, tamen de Dei assistentia in puella, ac de expetito signo non reddebatur homo certus, quoadusque inspiceret, quod illa omnibus præbebat, quantum opus erat: Dei enim est, nemini sua dona denegare. Et sicut humani est spiritus, sua quibusdam elargiri beneficia, celeriterque alijs; ita proprium afflatus diuini, neminem à sua beneficentia relinquere vacuum, sed omnibus, quantum necessarium est affluenter suppeditare.

Ait Paulus 1. Corinth. 10. num. 16. Panis, quem frangimus, nonne communicatio corporis Christi est? Hoc est, vt communiter explicant expositores, Theodoretus, Iustinus, Cornelius. Ipse eius panis, quem frangimus, communicat nobis ipsum Christi corpus, vt illud re vera singuli in Eucharistia participemus. Præfata Apostoli verba commentans Chrysostomus homil. 24. in 1. Corinth. sic ait: Quare addit, quem frangimus? Hoc in Eucharistia videre licet. In Cruce autem minime, sed omnino contra: Or enim eius, inquit, non comminuetur ex eo. Sed quod in Cruce passus non est, in oblatione patitur, & propter te frangi sustinet, vt omnes satiet. Vt habetur in marginali ipsius Chrysofomi, maximè ipsius sancti Doctoris mens ponderanda. In Cruce non admittit Dominus fractionem, quam tamen in Eucharistico pane sustinet, vt omnes satiet. Altaris Sacramentum in memoriam, ac repræsentationem mortis Christi est institutum: quomodo ergo in Eucharistico pane datur fractio, quam in suo corpore in Cruce non pertulit? In Crucis paribulo inferiorum, ac subditorum personam repræsentabat Dominus, pro quibus plenariam Patri de rigore iustitiæ satisfactionem persoluebat, idèque integer in omnium

pretium offerebatur. At in Eucharistia principis, parentis, ac pastoris, suos pascentis, gerit personam; & ideo tunc frangitur, vt inde deprehendatur, quod hic cœlestis panis, non vni tantum est datus, sed omnibus præparatus; nullusque cogitet, sibi soli totum integrum Dominum assumere, ipsūque in se solum retinere; ideo enim in frustra diuiditur, vt omnes satiet, omnesque huius cœlestis conuiuij fiant participes; in quo sic quilibet integrum Dominum accipit, vt etiam alij sub qualibet minima particula integrum sumat. Pro quo vide multa tom. 2. & 3. verbo, Communicare.

Christus in Eucharistia omnes satiat.

Marci 7. n. 32. Et adducunt ei surdum, & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum.

VERSIONES.

Syriacus. Et adduxerunt ei surdum quendam, difficiliter loquentem, & flagitabant ab eo.

Euthymius, Theophyl. Et adferunt ei surdum, impediatque linguæ.

Arias. Ferunt ei surdum, ægrè loquentem, & inuocant eum.

Pagninus, Ca. Adducunt surdum impediatque linguæ.

Variablus. Adducunt surdum impedium ad loquendum.

EXPOSITIO II.



VAMVIVS D. Matthæus cap. 15. num. 30. generatim multa miracula hoc loco recenset; tamen D. Marcus hoc vnum, vt valde in signe, sibi scribendum elegit, vt notant Maldonatus, Burgensis, & alij. Et historia est omnino diuersa ab ea, quam narrant D. Matthæus 9. num. 32. & Lucas 11. num. 14. vt patet ex circumstantiis vtriusque. Et adducunt, hoc est ducatum manibus præbebant, cum iam nempe Dominus esset circa mare Galilææ, quidam de turba, fortè amici, & cognati, vt inquit Beda, qui ad hoc commoti fuerant fama miraculorum Christi. Surdum, & mutum. Radix Græca habet, difficiliter loquentem, hoc est impediatque linguæ, ac valde balbum. Quod ex eo confirmant Interpretes, quia Euangelista postea subdit: Loquebatur rectè, hoc est expeditè absque aliquo impedimento. Hunc autem esse surdum, & mutum ex Dæmonis ope, existimat Theophylactus. At si hoc ita esset, Euangelista expressisset, vt in alijs miraculis communiter id fieri solet à factis Scriptoribus, cum Dæmonis eiectione maximè ad miraculi commendationem spectaret. Deprecabantur eum. Græcus habet, deprecantur, rogant, in præfenti: tamen Noster Latinus, & Syrus vruntur præterito imperfecto; preces enim nostræ ad obtinenda à Deo beneficia, valde imperfectæ sunt. Vt imponat illi manum, frequenter hunc vsum obseruauit Christus Dominus in operandis miraculis, vt dicam q. 5.

13. Matth. 13.

Maldon. Burgens. Matth. 9. Luc. 11.

Beda.

Græcus.

Theophyl.

Nostra preces valde in- perfecta ad obtinendum à Deo.